

I. N. J.
DISSERTATIO EXEGETICO-THEOLOGICA
De
S A M G A R E
PER
**STIMULUM BOUM
VICTORE,**
Ex Jud. 3. v. 31.

Quam
In Illustri ad Varnum Academia
Consentiente Reverenda F Cte Theologica,
P R Æ S I D E

VIRO Magnifico, Summe Reverendo, Excellentissimoque
DN. JOH. PETRO Brünenberg/
Philosoph. & Theologiæ Doctore, hujusque Professore Publ. Ordin.
Celeberrimo, Consistorii Ducalis, quod Rostochii est, Assessore, nec non
Districtus Meklenburgici Superintendente Vigilantissimo,

suæque F Ctis Decano h. t. Spectatissimo,
Domino, Fautore ac Patrono
ad cineres usque devenerando,

Ad d. 17. Febr. A. 1703, horis consuetis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Examine submittit

A. R.

M. MARTINUS WILHELMUS
Schmidt / Breg. Sil. S. Theol Cultor.

Rostochl, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampliff. Senat. Typographi.

Coll. diss. A
44, 23

a. XLIV. 23.

Vetusta Gentis prosapia,
Virtutibusque

Ultra eandem Elatis

Celebratissimo

VIRO,

GENEROSISSIMO AC STRENUISSIMO

DOMINO,

DNO. ADAMO de FRANCKENBERG & PROSCHLITZ,

Hereditario in Groß-Sankwitz /

Per Inclytissimi Ducatus Bregensis Districtum Commissario

Providentissimo Meritissimoque,

PATRI,

itemque

GENEROSISSIMIS MARTE & ARTE STRENUISSIMIS DOMINIS,

DN. ADAMO HEINRICO
de FRANCKENBERG & PROSCHLITZ,

DN. CASPARO ERNESTO
de FRANCKENBERG & PROSCHLITZ,

DN. JOHANNI ERNESTO
de FRANCKENBERG & PROSCHLITZ,

FILIIS:

Mæcenatibus, Patronis, Promotoribus ac Fautoribus

Colendissimis maximopereque observandis,

EXERCITIUM hoc ACADEMICUM

in grati tesseram animi

D. D. D.

ad perpetuum obsequium obstrictissimus

AUTOR.



V I R O

Admodum Reverendo, Devotissimo, atq; Clarissimo,

DNO. MARTINO Schmidt/

Ecclesiæ in Gros - Jenkewitz Evangelicæ Pastori

Meritissimo

S. P. P.

JOH. PETR. GRUENENBERG, D.



Ullo nos hucusque, Vir Plurimum Reverende, & Clarissime, nisi communi humanitatis & ecclesiæ vinculo conjunctos Filii Tui Optimi, ejusdemque Præcellentis Philosophiæ Magistri amor virtusq; conciliat. In quo cum è die illo, quo noscere ipsum cæpi, nihil nisi probum, industrium & gloriosum viderim, facile conjicio, quali quanteq; Tibi sit futurus jucunditati. Sic enim complexus eum est Philosophorum apud nos Illustrium ordo, ut post examen arctius dignum invenerint, quem suis ornamentis exornari pariter, & ad majora quæque incitari cuperent. Neque is sola ex eorum manu studiorum ornamenta excipere voluit: quin potius, ut ipse acquisito decori decus ferat, recte studuit efficere, prudenter ratus, ornamenta virtutum virtutibus baud illustrata sibi ipsis obscura esse, aliis etiam caliginosa. Ergo quam primum res tulit, commendatum jam totius Academiæ favori suum animum Bonis omnibus Doctisq; Viris de manu in manum tradere est ausus, materiam publicæ dissertationi eligens non detritam, clectæ dispositionem à se ipso concilians baud incongruam, dispositæ cæterum rectè circumfundens mundum. Est, quem vides, Vir Reverende, Filii Tui ardor, labor, honor: ex quo jucundam relectionem, multamque comprobationem mihi vendico. Consilium visumque meum adeo leviculum, ut, quod ejus modestia & comitas expetiit, afferriq; cupiit, ne memorari quidem fas sit. Samgar est, quem descripsit, Vir illustrissimo factò ultra communem hominum sortem evedus, de quò quidem eruditè varia differit, brevissimo temporis intervallo usus. Nec reliquit, uti existimo, quæ expositu ad locum Judic. 3. v. ult. necessaria forent. Equidem supersunt quæstiones præcipuè duæ, quas non decidit, nimirum ad Cap. 5, v. 6. quales illi fuerint,

rint tramites, quales semitæ; qualesque è contrario salebra viarum & ambages, quæ ibi memorantur, num πολυκῶς, an πνευματικῶς intelligendæ? quorum ut posterius ab historiâ Judic. 4, 1. 2. 3. non abhorret, ita prius cum literalis sensu loci dexterrimè convenire merito censetur: & ad Cap. 4, 1. 2. 3. quousque Samgaris tempora sint extendenda, & an viginti, qui memorantur, annorum improbitas & molestia ad Samgarem pertineant, cum ad Ebudem mortuum v. 1. referri non possit, ad Deborah in meliora suscitatum c. 5, 7. referri non debeat: unde id omninò videtur, & defendi facile potest. Nec detrahit tamen Samgaris virtuti insania populi, de quâ re Judic. 2, 16. 17. divinitus erat monitum. Sed ne id quidem intactum reliquit Solertissimus ille Tuus Filius, prius quidem Dissertationis suæ Cap. 1. §. 10. posterius autem Cap. VI. §. 6. extremis illud, hoc paulo interioribus labiis degustans, forte & ulteriori inquisitioni ac discussioni relicurus. Memoravi autem hæc eum in finem, ut tanto æquius judicare queas, Filii Tui tunicam esse, quam hæc, cui meam comitem esse volui epistolam, charta est induta. Suscitet ad amplissimos in studiis profectus natum factumque ingenium Divina Providentia, & patronos ei conciliet, qui non solo consilio, sed certiore etiam auxilio sic Ei subveniant, ut profulgentes indolis non igniculi, sed flammæ ad illuminandam Sapientia, & calefaciendam amore DEI ecclesiam increbescant, viresque sumant. Tu verò, Vir Reverende, primos ex primo hoc illius fœtu capias letitiæ fructus, & existimes, Tua quæ est prudentia, non vulgaris esse decoris, avum esse ex Filii chartaceâ prole: cujus similem & firmiorem etiam post hæc ab eodem non raro V. D. videbis. Vale, Vir Optime, & sicut pro rudibus Vestrae illius, quantorum virorum matris, quantæque Evangelii cultricis, Silesia, non desino orare, ita inprimis id Tibi promittas, Te quoque ex Filio jam cognitum frequenter DEO in meâ commendari prece. Valeas iterum, & Filium Probum, cumque illo me ipsum ames. Scripsi Rostochii d. XVI. Febr. 1713.





I. N. J.

PRÆFAMEN.



Naudita ac plane immensa supremi Numinis miraculosissima Miracula, quæ tempore Populi Israelitici inter omnes fere Gentes potentissima præstitit ac peregit Manu sua, imbecillis & Natura & Ingenio Homo, *imbecillum (dico) Corpus, & fragile, nudum, suapte Natura inerme, aliena opus indigens, ad omnem fortune contumeliam projectum, respondente Seneca in Consule: ad Marciam cap. 2. nec mente nec verbis clare satis ac dilucide ad hunc usq; diem potuit explicare.* Enim vero divina illa, quorum Instrumentum Moses fuit, in Ægypto satis superque elucent Opera, quæ postea dubiosis Physici experimentis, etiamsi insufficientissimâ hucusque via, demonstrare, & rationibus mechanicis munire aggressi sunt. Divina quoque in Bellis Israeliticis longe periculosissimis, non tam militia exerciti Duces, quam Principes inter suos Viri boni, miris sæpenumero armis suis peregerunt, quibus ex servitute hostium Israelitæ liberabantur. Ubi Virtus omnino summa, illa fuit Fortitudo, quæ freta motu atque auxilio DEI & pericula iusta contempsit, & instrumento, ut ita loquar, levidensi hostes infensissimos prostravit atque potentissimos, ita ut, quousque divinos extra motus haud processere, illud illustre verbum *Ciceronis Lib. I. offic. Fortis animi & constantis est, non perturbari in rebus asperis, nec tumultu quoque de gradu dejici, ut dicitur, sed presenti animo uti & consilio, nec à ratione discedere: & illa Poëta:*

Λ

Rebus

*Rebus angustis animosus atque
Fortis appare: sapienter idem
Contrahes vento nimium secundò
Turgida vela:*

palmarum hic locum habeant. Exemplum hæc mea, quali licuit Minervâ, elaborata, ac publicè examinanda Disputatio demonstrat, ac Miraculum Virtutis à *Samgare* in bello peractum iterum in animum revocat omnibus: id quod pro viribus à DEO concessis pertracto. Faxit sua Gratia benignum in Cœlis Numen, ut bene ac feliciter!

CAP. I.

In Analyfi Grammatica occupatum.

§. I.

Illud robustæ mentis, manusque Miraculum, quod Dissertationi ansam huic normamque dedit, commemoravit, qui Librum sine dubio conscripsit, Samuel, *Judicum Cap. III: v. 31.* ubi Textus in Lingva sancta ita legitur: **וְאַחֲרָיו הָיָה שָׁמְגָר בֶּן-עֲנַת וְיָדָה אֶת-פְּלִשְׁתִּים שֵׁשׁ-מֵאוֹת אִישׁ: בְּמַלְמַךְ הַבָּקָר וַיּוֹשֶׁעַ גַּם-הוּא אֶת-יִשְׂרָאֵל:** In ling. lat. *Post eum vero fuit SCHAMGAR filius Anathi, qui PERCUSSIT Pelischtæos sexcentos Viros STIMULO BOVIS, servavitq; ipse quoq; Israël.* In nostra verò lingua, & Versione quidem nostri Megalandri: *Darnach war Samgar/der Sohn Anath/der schlug 600. Philister / mit einem Ochsen-Stecken / und erlöset auch Israel.*

§. II. Perspicuitas textus videri poterat facere, ut philologica Analyfi supersedere possemus; quoniam vero nihilominus in una atque altera Vocolâ dubia occurrunt varia, brevibus illa excutienda veniunt verbis, quandoquidem plurimi Interpretes non omni in loco conveniunt inter se, æque ac Versiones, quæ nobis quendam quasi stimulum, ad hoc critice faciendum, addunt, non quidem nova adferre, sed tantum aliquid fundamenti loco adstruere volentibus

bus

bus, præsertim cum illud sagacitatis philologicæ Exercitium nostro nunc ordini convenientissimum esse videatur.

§. III. Primum quod deprehendimus in nostro textu vocabulum, nullam in se continet difficultatem, וְאַחֲרָיו. Præfixum וְ enim valde notam habet significationem, & in explicatione nullis verbis indiget: occurrit enim fere in omnibus Versiculis Sacræ Scripturæ, & sermonem inchoat ex proprietate Lingvæ vario quidem modo. Hoc loco est mere copulativum, quod ordinarie (,) habet, & ad præcedentia respicit, tam ad *octoginta annos*, quam ad *Ehudem*, & Connexionem Verborum indicat, ac nihil aliud intendit, quam ET. Porro וְ אַחֲרָיו uti è Lexicis & Lectione patet, *post*, vel *postea* notat, ut Gen. 15, v. 14. ubi DEUS Calamitates Abrahamo annunciat Posterorum: *Et etiam Gentem, cui servient, judicans ego, & POSTEA egredientur in substantia magna*. Cum singulari (sed pluralis numeri indice) *affixio* וְ, denotat: *post eum*: & tzere, quod ante וְ juxta rationem substantivorum pluralis numeri, in statu constructo positum (cum ipsum וְ אַחֲרָיו adverbii vim teneat) in hac voce habet, ordinariâ affixi hujus affixione in Kametz mutat sub litera וְ. In significatione plurium foret Hebr. וְ אַחֲרֵיהֶם, uti & Chald. וְ אַחֲרֵיהֶוּן, *post eos*, (in plurali) ex Dan. 7, v. 24. Megalander Lutherus vertit: *Darnach* / & non male, quia Germanis *Darnach* idem est, ac *nach diesem* / quamquam latius sit significatû וְ אַחֲרָיו. Hoc loco clarû est, virtute vocis nō intelligi debere: *post eos octoginta annos*, sed *post eum*, scil. *Ehudem*: atq; ita LXX. recte μετ' αὐτὸν dixerunt.

§. IV. Secundum quod attinet, וְ אַחֲרָיו ipsissima Radix est verbi *fuit*: cujus infinitivus è forma Hebr. variat וְ אַחֲרָיו, וְ אַחֲרָיו, & וְ אַחֲרָיו, itemq; è formâ Chaldaica (vid. Lexicon Buxtorfii) וְ אַחֲרָיו esse. Sensus est: *Post eum* (scil. Ehud) *fuit Samgar*, ut colligas, talem fuisse hunc Virum, qualis fuerat Ehud: qui & Salvator expresse Jud. 3. v. 15. dicitur, & inter Judices, quamvis Judex haud appelletur, sine ullo dubio numeratur: simulq; illud intelligas, non cum Ehude salvandis rebus præfuisse Samgarem, sed post illum, id est, ipso mortuo, qui Moabitas domuerat. Sanctus scriptor enim de servitute Moabitica Populi Israëlitici loquitur, & de Liberatione per Ehudem facta, qui munere Judicis & quidem secundi fungebatur. Nunc vero etiam ad tertium ab Othoniele ex ordine se convertit Judicem, & ejus miratu dignissima facta aperte demonstrat. Dignum igitur observatu est hæc vox וְ אַחֲרָיו significans, non tantum post Ehudem quod hostes percusserit, & Israëlem servavit, sed & simplici verbo fuerit, id est cum potestate fuerit.

▲ ▲

§. V.

§. V. **שָׁמְגָר** Nomen proprium fortissimi Samgaris est, qui Victor in Israël extitit. - Nominatenus *Peregrinus* erat. In Indice Nominum nostris Bibliis præfigi solito, legimus: **Samgar** / schrecklicher Fremdling. In antiquiore quodam aliò, sub Titulo: **Biblisches Nahmen und Chronick-Buch** / sic scribitur: **Samgar** / genandter Fremdling / gewisser Bilgram / schrecklicher Fremdling. i. e. nominatus *Peregrinus*, certus peregrinator, horrendus alienigena. Quà quidem in explicatione Nominis compositi pars posterior ex **פָּר** *Peregrinator, alienus, alienigena*; pars prior autem vel ex **הַרְוֹ** antiquato, *Nominavit*, unde **רָוַ** *Nomen*, vel ex **רָוַ** vel **רָוַ** *Horrendè desolatus est*, unde **הַרְוֹ** *stupor, res horrenda, desolatio*, assumpta esse cenletur: uti & **מַרְוֹ** per *cholem* & *schureck* formidinem significat. Sed obscuriora sunt talia, & minoris usus, quanquam talium virorum, peregrinorum, & terribilium Philistæorum Victor sit factus. Sacra Scriptura duobus tantum in Locis illius meminit, nempe hoc nostro, & Jud. 5. v. 6. non tamen, quasi minor esset aliis Heroibus, qui Consilio & Auxilio supremi Numinis Liberatores erant in Israël, alioquin vel majori in pretio æstimandus esset, quia non memoratis aliis conjuratis vel militibus sexcentos percussit Philistæos. Quod igitur illum alibi non commemorat, forsan ex eo venit, quia vel paucos post annos aut menses, quod aliqui volunt, è vitâ discessit, vel alia difficultate impeditus nihil, quod postea adeo notatu dignum esset, peregit. Cœterum an Nomen legatur *Samgar*, vel *Schamgar*, vel *Samegar*, parum vel nihil inter est. Ego hic *Samgarem* cum aliis Excellentibus Philologis, qui observarunt, Hebraicum **שָׁמְגָר** à prisca, in usu priorum maximè nominum creberrimè velut *sn* pronunciatum esse, uti è vocibus *Samuel*, *Samarita* & similibus patescit, & cum B. quoque *Luthero*, aliisque Interpretibus (à quorum sane Magnitudine nimium abest mediocritas mea) appellito, & cuilibet liberum relinquo, quomodo eum in pronunciatione nominare velit.

§. VI. **בֶּן־עֲנַן** denotat *Filius Anathi*. In varia apud Hebræos significatione **בֶּן** accipitur. Sæpenumero sic *discipulus* audit, uti 2. Reg. 2, v. 3. conf. *Proverbia Salomonis* passim, & R. Salomon: qualis est, doctrinâ & Institutione *Filius*; sapissime etiam *Pullus*, & in plurali *Pulli*, quod ex locis Gen. 18, v. 7. Ps. 29, v. 6. Job 39, v. 19. Lev. 12, v. 6. Gen. 32, v. 15. & aliis patet, sed tantum ut id poscente inter animalia rationis expertia, *Satanas* hoc Nomine quibusdam etiam gaudere cenletur, nempe Es. 14, v. 13. ubi hæc invenimus: *quomodo cecidi-*

cecidit.

cidisti ex Cælo Lucifer כְּלֹחַמֵי בָּרְזֵק filius Aurora, i. e. uti B. Salomon Glassius disse-
rit lib. 3. Grammat. Sacr. Tract. 1. de Nomine: ὁ πρῶτος ἀνατέλλων, mane oriens, vel,
natus aurora uti alii, i. e., qui velut Alumnus est & Comes Aurora, ut pulli hæ-
rentes lateribus matrum; sed tantum de homine ibi sermo est per figurationem,
quoniam per stellam s. Luciferum ex contextu Rex Babylonius indicatur. In-
terim hoc Nomen in regiminis statu positum, & cum re inanimata constructum,
multos alios facit Hebraismos, juxta Canonem Philologicum, è quo Lutherus
in Comment. ad Genes. 49. idem significare dicit, quod latine dicimus res s.
ens. At sicut hic ejus Canonis Verba non possunt locum habere; ita prorsus
nihil abest, quin hic locus alienus cæteris etiam ab Hebraïsmis sit. Porro, hoc
etiam Metaphoram interdum comprehendit Nomen, uti Ps. 82, v. 6. filii Ex-
celsi, i. e. Jehovæ, dicuntur Magistratus, ac Principes, & vel illi, quos ob injus-
tiam graviter reprehendit: quod propterea de filiorum DEI genere illo, quos
hominum fides metaphorice tales etiam reddit, non intelligendum, sed ob Au-
toritatem dicitur, quam Magistratus in terris obtinent, ex qua DEO chari &
accepti sunt. Et Metaphoram etiam hoc loco observabilem videsis apud Je-
suitam Jacobum Gordonum Huntlaum Comment. in h. l. quia autem absurditas
potius, quam ingeniolium aliquod in eâ inventum est, B. L. tædiosa non adjeci illi-
us verba. Sensus igitur sine omni Controversia h. l. est nude accipiendus: Filius;
qui quidem Filius Samgar noster est, fortissimus auxilio DEI bellator, cujus
Patrem sacra pagina ad majorem sub isto tempore evidentiam addidit, & no-
minavit in textu sancto דָּוִד. Septuaginta Interpretes Διὸς vocant, quod Sera-
rius putat, in Synopsi Athanasii mendum esse, cum illum hoc titulo S. Pater de-
scripserit: sed illis potius, quam huic, adscribendum hoc mendum est. Derivatio
Nominis est ex דָּוִד Dixit, it. affixit. Hinc aliis est Orator, aliis Paupertas s.
Afflictio, Anath. Nullibi autem Spiritus S. Nomen ejus nominavit, nisi bis, ubi
Filium commemoravit. Ex suppositio quorundam fragmento dicam an fig-
mento Rabbi vel Doctor fuit inter Judæos, quod tamen ipsum nullo nititur fun-
damento. Igitur plura de hoc Viro non sunt facienda verba, & penitus ab
hac varietate opinionum abstineri potest.

§. VII. Seqvens vocabulum דָּוִד & percussit, quod Textus in conspe-
 ctum sistit, magnæ Anomalix grammaticæ involutum est, cujus sensu absente
 sensum Spiritus S. haud intelligimus. Præfixum דָּוִד significationem temporis hic
 plane permutat, ut significet *percussit*; alias in futuro, *percutiet*, uti דָּוִד Hos.

14. v. 6. & sine ו Hof. 6, v. 1. quamvis h. l. & per Præteritum explicari soleat. Hic igitur sensum futuri in significatum præteriti temporis præfixum ו convertit, quod ordinario (-) suo gaudet seq. Dagesch. Uti autem quandoque ו deest, & quandoque etiam redundat in Vocibus seu Phrasibus aliis quibusdam: (sic enim deesse dicitur Psal. 133, v. 3. ut ros Hermonis שִׁיֹרֵר qui descendit super Montes Sionis, h. e. & (ros ille) qui descendit; & deest alibi, nempe Habac. 3, v. 11. שָׁמַשׁ יָרַח Sol, Luna stetit, h. e. Sol & Luna; sic contra redundat, quando aliis vocibus absque virtute præfigitur, uti volunt Amos. 4, v. 10. & feci, ut adscenderet fœtor castrorum vestrorum וּבְאַפְסֹכְם in nasum vestrum, licet non desit emphasis (uti & Gen. 20, v. 26. & alibi) ita interdum ו etiam deest in futuris, pro futuro tempore naturam præteriti induentibus, ubi tale Vav conversivum non male subintelligitur, quandoquidem temporum significatio temere non mutatur, & interdum etiam redundare existimatur, ut naturam futuri non mutet, quod tamen non est frequenter accipiendum. Conf. circa prius Glass. L. III, Gr. Tr. III. Can. 49. & circa posterius eundem L. IV. Gr. Tr. I. Observ. VII. Eadem Præfixi ratio valet etiam circa jus copulandi: de quo Grammatici possunt consuli. Contra nec deest quidquam, nec redundat circa hoc ו, quando non solum convertit futurum in præteritum, sed & copulat, quod nostro hoc loco fit. Est autem ו in Anomalia tū radicalis ו, quæ abjecta compensari debebat per Dagesch in reliqua voce וְכָה, tum in anomalia radicalis ה non crecentis à fine, unde apocope וְכָה jam neglecti reperitur, tertia enim radicalis cum prævia vocali post ו conversivum abijcitur in Hiphil, quæ in conjugatione etiam hæcce nostra est vox וְכָה pro voce וְכָה, qualis esse debebat, si analogiæ per anomolias usum locus esset à Rad. וְכָה, sed quoad usum in Kal antiquata, Græci recte verterunt: ἡ ἐπιπλάξ.

§. VIII. אַתְּ פְּרָשְׁתִּים absolute posita vox posterior. Præmissum אַתְּ, positum ante nomen suum, post verbum vim actionis habens, declarat accusativum. Lis de loco inclytissimo Gen. 4, v. 1. orthodoxe declaratur per accusativum in appositione positum. Significare autem quidam dicunt ex in illo Gen. 44, v. 4. ipsi egressi erant ex civitate אַתְּ הָעִיר (simil. Exod. 9, v. 29.) sed rectius אַתְּ ibi etiam accusativi nota est. Makkaph post se requirit, cum ו habet: rarissime ita sine makkaph usurpatur, & fere tantum in tribus locis, nempe Psal. 47, v. 5. Psal. 60, v. 2. & Prov. 3, v. 12. alias enim semper hoc memoratum (-) habet, quod ex innumeris locis evidens est; ubi vero cum

cum

cum (..) scribitur, signum maccaph non requirit. פלשתים est nomen proprium. Populus enim fuit ille, cujus parens mediante Casluchimo erat Mizraim, Filius Chami ex Gen. 10. v. 13. 14. 1. Paralip. 1. v. 12. Nomen & omen æquè habebant viri usu bellorum exerciti, *ruinam ponentes*, in Boden-Stößefer & ut alii vertunt Niederwerffer / Gallanten / Fäller / Besprenger / (vid. Anon. Bibl. Nam. und Ehr. Buch) semper enim occupati in opprimendis aliis terrarum populis erant, quod ex scriptorum de bellis Sacris innotescit Scriptis. Quam tamen sic exponendi rationem non simpliciter volumus esse nostram. Hoc tempore prima vice, quantum è scripturis patet, cum populo Israëlitico congressi armis fuerunt, non quidem publico ac legitimo, ut videtur, bello, sed acerbis solum incursionibus ac sollicitationibus, qua in expeditione misere ab Heroë nostro Samgare profligebantur. Postea antequam Jephtha falces caperet, graviori bello Israëlitis molesti cœperunt esse ab altera parte occidentali, cum ob opposita altera in eos inveherentur Ammonitæ, Jairo populum judicante, nec dextre tamen vindicante: Jud. 10. v. 3. -- 8. quo tempore Philistæi quoque domitis à Jephtha Ammonitis ad tempus conquievire. Porro tempore Elonis, Abdonis & Simsonis iterum Israëlem justò bello oppressere; interdum tamen infeliciari successu (vid. Jud. 15. v. 5. 8. 15. & cap. 16.) incedebant, usque dum post pugnam Israëli luctuosam 1. Sam. 4. primum Samuel juxta 1. Sam. 7. v. 7. -- 14. deinde Saul c. 13. & 14. atque ultimò locò David, Vir ex Corde DEI, 2. Sam. 5. v. 17. seqq. & cap. 21. it. e. 23. hanc penitus refrenabant gentem. In sex autem, vel etiam quinque Philistæi distincti erant Ducatus, qui erant Nomine præter antiquum Gerar, Gasa, Asdod, Ascalon, Gath & Ekron ex Gen. 20. v. 1. cap. 26. v. 1. Jos. 13, v. 3. Jud. 3, v. 3. 1. Sam. 6. v. 4, & 17. quod & Paulus Crellins in Promptuario Biblico bene annotavit. In versione LXX, generaliori nomine dicuntur ἀλλόφυλοι, quod Philistæos minus sufficienter declarat.

§. IX. Numerus percussorum Philistæorum effecit שש מאות פלשתים sexcentos, quod Hebræis per vocis שש appositionem dicere usitatissimum est, *sexcentos Viros*, scil. ex Philistæis. Profecto quicquid per Terram in possessione habebant Israëliticam, Hostes illi infensissimi DEI & sanctorum ejus, quoniam potentia, injuriis, perfidia, & mendaciis cuncta parta essent, non potuit iis esse diuturnum. Fortissimus Heros, qui cum summis Heroibus Davidis pari passu ambulat, non quidem proprio suo

so-

solius Marte, sed contra humanas rationes miraculosissimam ac potentissimam Manu DEI fretus illos fatali strage evertibat. Optime huc quadrat, quod Crispus apud Schoockium dixit: *bono, vinci satius est, quam malo more injuriam vincere.* Igitur ea Victoria Nobilitas ex libidine sua usa, multos mortales ferro aut fuga exstinxit, plusque in reliquum sibi timoris, quam potentie addidit; quod & Samgar in Philistæis quam optime observandum fecit. Tali vero, qualem Samgar ingressus est, prælio aut libertas parata est victori, aut mors exposita victo, quorum alterum optabile est, alterum effugere nemo potest: quorum prius ille etiam acquisivit populo, & sibi magnam ex hoc bello ad hunc usque diem adeptus est laudem.

§. X. Cœtera quæ extant in textu verba partim infra fufius pertractanda sunt, nempe **בְּמַלְמֶר הַבָּקָר**, partim etiam nullam indicant difficultatem, nisi quæ in in unico occurrit **וַיִּשְׁעֵ** & *servavit*. De præfixo **ל** jam supra multis verbis disserui, quod hic iterum & convertit & copulat, nempe percussit eos stimulo boum, & *servavit* Israël, nullo alio tum Instrumento, quam hoc dicto. Radix autem verbi est **שָׁעַ** quod in 3. Pers. m. Fut. habet **יִשְׁעֵ** & **יִשְׁעֵ** cum patach loco chir. magni, anomalice ob primam radical. jod cum vocem analogicam **יִשְׁעֵ** sua durties premat, estq; in hiphil, quod tamen in varia significatione alias sumitur, & constructur interdum cum Dativo, ut Jud. 7. v. 2. **לְהוֹשִׁיעַ לְךָ** *ut sis saluti vel auxilio tibi*, add. 2. Sam. 10. v. 11. & interdum cum accusativo Jer. 17. v. 14. *serva me*, & *salvabor*. ac Deut. 33. v. 29. quod & hic locum, docente particula **נָתַן** habet, *servavit* Israël, vel si mavis (**יִשְׁעֵ**) *auxilium vel salutem acquisivit* in his terris, quod & ad certum tempus verè affuit, non tam omnibus in sacris, quam aliis in humanis rebus, quamvis & in his non omnia semper fausta fuerint. Conf. c. 5. v. 6. Nihilò secius tum certe repressis Philistæis ingentia pericula à terris Israëlitis semovit, atque ita **וַיִּשְׁעֵ** *etiam ipse* (voces sunt intellectu longè facillimæ) *conservavit* **אֶת־יִשְׂרָאֵל** Populum Israël. De Accentuatione, cum sensui ubiqve faveat, addendum nihil duco. Quin potius ad ipsam rem propius accedo, ut & de ipso Samgare paulo certior reddi, ac deinceps in instrumento fortitudinis ejus ob imparitatem hostilium armorum demirando menti DEUM reverenti satisfacere possim.

CAP.

CAP. II.

Varia Circa Samgarem dubia proponens.



§. I.

Is peractis non incongruè varia, quæ exsurgunt, Iustram Dubia & Quæstiones, quæ adversus nos quasi ex Textu sermocinantur. Primo enim quæritur de Samgare: *An inter Judices numerandus sit?* quod multi ob varias, quæ hoc in loco occurrunt Circumstantias, in dubium vocant. Patres quidam primitivæ Ecclesiæ Nomen non commemorant hujus Victoris, cum tamen cæteri Judices ad unum omnes in Scriptis illorum extant, uti Clementis Alexandrini, Isidori, & aliorum, qui illius facta ne Verbo quidem indicant. Deinceps etiam hoc accedit, ut nullibi in sacra Scriptura judicasse Israëlem legatur, quod apud alios & plerosque invenitur. Porro unicum ejus factum tantum indicatur, quod privato etiam ausu in se suscepisse videtur. Postremo Regiminis Tempus Samgaris non introspicitur, quod, ut volunt, apud alios clare ac perspicue patet. Quæ Rationes plane animum nostrum à Samgare & ejus munere judiciali student remove, ita ut parum vel nihili ejus Existimatio apud Doctos pariter atque Indoctos æstimetur. Verum enim vero non aliunde desumptis, sed ipsis Verbis ex Textu haustis evidens reddetur hoc dubium, quod hic tam copiosè exaggeratur.

§. II. Scilicet Textus nobis exhibuit Voculam primo Intuitu, quæ non tantummodo ejus officium, sed & Cronologiam, quo tempore nempe Judex fuerit, argute proponit; Ipsa est *וַיִּשְׁפֹּט* post eum, quæ, uti supra ostensum est in Significatione Vocum ad Veritatem contendit. Ante illum, testante sacra pagina, duo numerantur, qui Nomine summi Judicis cum laude Populi Israëlitici gaudebant. Israël enim alios potius quam verum hujus Universi DEUM adoraverat, &, uti hoc fere semper observavere Filii Israël in Cultu divino, ita Ethnicis redditi similes erant, qui non tantum Homines bonos & bene meritos pro Diis coluerunt, sed etiam

iam flagitiosos, Hominumque Propudia; imo & Dæmones, sub Demor-
tuorum Personis, mutatis eorum Nominibus, *ne quis, ut Lactantius L. 1.
cap. 21. loquitur, Homines eos fuisse putaret*: quomodo & hi Aras extru-
xerunt omnibus, qui aliquo rerum gestarum velut Miraculo inter Gentes
claruere, quæ tamen DEO vero propriæ esse debuissent, limpidissimumque
ita Fontem, Theaurum scientiæ ac sapientiæ neglexerunt, & lacunosos Ri-
vulos sedulo quæsierunt, cum tamen *hæc esset vera Gentium Lux divina
Eruditio & Agnitio (uti inquit Ludovicus Vives in Introductione ad veram
sapi: §. 135.) & reliqua omnis ad hanc collata, densissima essent Tenebræ, & ut Res
Hominum, ludicra & puerilis &c.* Fœdaverant è contrariò Gentium illa stul-
ta Idololatria Mentem suam etiam Israëlita, quod Jos. 24. v. 8. Jud. 2. v. 7. 10.
& Josephus in Antiq. Judai: passim probant. Igitur innumere etiam aderant
Calamitates, quibus ad DEUM reducebantur, & inter has Afflictiones omnino
nummeranda Multitudo Inimicitiarum est Vicinarum, quæ Teste hoc Judicium
libro, sæpe & vel hoc Tempore Samgaris iterum concessu DEI Terram Israëlita
devastabant. Quoties igitur non fucata DEUS illorum Pænitentiam
perspexit, Misericordia etiam ejus semper accessit, & Salvatorem adduxit, qui
esse loco Auxilii potuit. Primus erat Athniel Jud. 3, qui & Judex & Liberator
dicitur v. 9. 10. Alter fuit Ehud vel Aod, qui Moabitas humiliavit, quod ex
v. 21. 29. luculenter patet, adeo ut Terræ dein octoginta Annos alto nimis Otio
& tranquilla Quiete frui placuerit. Cœterum post hunc nullius mentio fit Vi-
ctoris vel Judicis, qui Populo Israëlita præfuerit, quam Samgaris, & post il-
lum Deborah. Igitur sive dicas, post octoginta Annos, (quod tamen nec Tex-
tus dicit, nec Res permittit,) sive post Eudem, (quod Textus urget) illum fuisse:
perfecto talis est & fuit noster Samgar, qualis Ehud fuerat, idem *שׁוֹמֵר* (quod
Vox *שׁוֹמֵר* docet) id est Liberator, idem etiam Judex, quod Munus Liberatorum
erat Jud. 2. v. 16. quanquam, quod ægre tamen vel potius non concedimus, ad-
huc vivo Ehude præfuisset Israëlita. Equidem (annotat hæc Sebastian Schmidius
in h. l.) *Judices Israëlita in discrimine fuerunt, ut quidam universales, quidam
vero, ut sic dicam, particulares, fuerint: quorum isti universum Israëlita, hi unam
alteramve Tribum judicarunt, diversis etiam locis. Ita nihil absurdi est dicere,
(ut omnia ejus Verba adducam) Eudem servasse & judicasse Israëlita Tribus
circa Jordanum & excussisse Jugum moabiticum: Samgarem autem defen-
disse Tribus Philistæis vicinas.* Verum non opus est istæc huc applicare, & ta-
men, si locum illæ invenerint, ex iis evidens fiet, illum sic etiam Judicem fuisse
in Israëlita. Aliorum hic non commemoro Interpretum Testimonia, sed unum
tantum

tantum *Serarium* adducam, cujus hæc pro nostro *Judice* Verba sunt: *Eodem prorsus vixit Tempore Samgar (scil. cum Ehude) ob brevissimam ejus Principatus durationem; & fatentur omnes, nominatim autem R. Abraham Zacuth lib. Jacobin; JUDICAVIT Samgar annum unum, huncquæ Annum inter finem Annorum Aodis, & Principium Annorum Debora: Sed et Holam Rabba, in diebus, inquit, ejus (Aod) fuit Samgar Filius Hanath, in fine dierum ejus.* Qui omnes Verba nostra stabiliunt & sententiam confirmant nostram, etiam si de Tempore apud *Serarium* aliqua Difficultas superesse videatur, *Samgarom* certe, qui æqualis *Ehudi* fuit, actamenn etiam post *Ehudem* fuit, & speciatim cum *Judicibus* nummerandum esse, & *Israëlem* judicavisse. Quod quidem probabilissime, ut clarius id repetam, factum post mortem *Ehudis*, nec tamen post *Victoriam* cum *Moabitis* peractam. Ita *Samgar* tertius fuit *Judex* in *Israël*, consentiente etiam *Josepho Anti. Lib. V. cap. 5.* Agmen claudunt, & totam rem illustrent *Deboræ* Verba cap. 5, v. 6. recitata, quæ, dum *Ehudi* nullam faciunt mentionem, & præcisè dies *Samgaris* filii *Anath*, velut valde incommodos inducunt, iisquæ dies *Jaëlis* cujusdam addunt, satis significant, non amplius tum Temporis *Ehudem*, sed in *Historia* paulo ante descriptum *Samgarom* fuisse *Judicem* *Israëlis*. Nihil in præcedentibus *Prophetissa* pertractat, quam *DEI* Auxilium, quod *Judices* vivi *Instrumenti* instar habebant, & imprimis *Samgarem* & *Jaëlem* hic appellat, ac secum *Deboræ* eos confert. Igitur illa inquit: *In diebus Samgaris, in diebus Israelis; & totum tempus illud post Ehudem usquæ ad Tempora sua indicat, Victoriam indicium ergo, quam non sub Ehude, sed post illum peregit, confirmat necessariò, quod Populum judicaverit, nisi & Deboræ dies Samgaris benè notanti hoc negare velimus, & ita contra Scripturæ verba procedere.*

§. III. Quod ad *Oblivionem* quorundam *Patrum* attinet, eam forsitan ob causam præteriri eum fecerunt, quia ejus *Dominium* brevissimum fuisse censuerunt & quoque aliis cum *vis* conjunctum, unde tanti, ut videtur, non fecerunt, uti *Nomen* commemorarent. Satis autem profecto est *gloria*, illum in *Sacra Scriptura* nominari, quod aliis merorum *Hominum* seu *Virorum* *Testimoniis* longe anteponendum est. Nequæ enim à nudo *Patrum* (etiam si omnes de eo conticuissent, quod dici non potest) *silentio* in antiquissimæ præsertim *Historiæ* delectu procedi fas est ad denegandum *Viro* divinitus suscitato *Munus* publici *Judicatus*, qui *Israëlem* expresse dicitur servavisse c. 3. v. 31. qui expresse post *Ehudem* & ante *Deboram* nuncupatur *ibid.* & c. 4. v. 4. qui Dies

licet non ex Annorum numero at tamen ex rerum Iniquitate habet memora-
tos c. 5. v. 6. & cujus Regimen cum Deborahæ Judicatu confertur, ibid. v. 6. 7.
quique tandem ex iis non potest, qui velut iudices describuntur c.
2. v. 16. 17. 18. 19. Hæc est Memoratio Samgaris nobilior, ac sacro Codici
non sine ipsius gloria debetur.

§. IV. De Objectione altera, quando, dicitur: Illum propterea Israë-
lem non iudicasse, quia Sacra id Scriptura taceat, facile Nodus solvitur. Pri-
mo enim lubens hoc concedo explicitè id non dici, sed quod proxime dixi,
hoc adjicio: dicitur tamen Israëlem salvasse. Quid autem aliter, quam ju-
dicasse, hoc intendit? idem omnino vel certe connexum vi cap. 2. v. 16. - 19.
est utrumque. Deinceps si hoc aliquid ab Autoritate Salvatoris hujusmodi de-
trahit, non minùs etiam tale silentium de Ehudis & Gideonis Judicatu fit, cum
eodem modo nec de illis, quod Israëlem iudicarint, ullibi dicatur, qui tamen
quâ justitiâ è iudicum serie excludi queant, aut debeant, nusquam apparet,
præsertim cum uterque satis diuturna tempora sua Virtute dederint col-
lustrata.

§. V. De facto autem, quod privatim peregerit, vehemens sub Iudice
lis est, an hoc privatim, an publice fuerit effectum? Interim autem, dum Ho-
stis furebat, ipse Samgar, iudex & Pater Patriæ, non, etsi privatissimè, etiam
malè egit, nam & tacitè ipsi officium dictitabat suum, se Vindicatorem contra
hostiles insolitus esse debere, & Spiritus DEI vires & audaciam hanc piam agge-
rebat, è quâ sentit, se eum esse posse. Itaque non quidem communi Populi
consensu, sed potius instinctu DEI specialiore hanc in se suscepit Liberationem,
cum necessitas Consilia cumulari minimè petmitteret, nisi vastationem Terræ
fieri desiderarent. Quin etiam si vel maximè privatus Homo, nec dum iudi-
cando Populo præstitutus hoc ingentis negotii Opus suscepisset post Ehudem,
utique censendum toti erat Israeli, hanc ipsam Domini illam esse viam, per
quam ante ipsum Ehud non sane magis publico consilio ad Judicatum Populi
acceserat. Quamquam id, quod divinum est, divinoque motu fit, satis exin-
de publicum est censendum, idque maxime in Re non obscurâ, sed publicâ, po-
liticâ, & militari, quæ cito ex privato negotio publicum, & ex privatâ Personâ
publicam reddere potest. Cæterum & illius, qui una Re triumphat, memo-
riam sacram esse debet, Viri docti volunt, uti apud Romanos valebat clarorum
Hominum, & bene de Republica vel uno insigni in facinore meritorum, memo-
ria etiam Mortuorum. Igitur etiam Samgari, qui quidem unicum, aut me-
moratu valde dignum peregit Factum, æquissimum est, ut in Cordibus Pyrami-
des

des erigamus nostris, melioresquè iis, quæ in Ægypto erectæ fuere à Regibus illius Regionis, ad sempiternam sui Memoriam. (vid. de iis Melanchton in orat. de veteri Philosophia) Et in ipsa morte quasi renatus ille est, & jam quoquè vivit, dum vivere desit, qui & bene vixit & Rempubl. bene administravit.

§. VI. Nec deniquè obstat tempus Samgaris, quod non recensetur, factum enim ita fuit, vel quia, ut putant, breve erat, vel certe quia in 80. annis ab Ehude præcedente pacatis inclusum, quod & supra quodammodo jam indicavimus. *Josepb. L. V. Antiq. c. 5. significat, quod post Ehudem Samgarus Anathi Filius electus in imperium, vix toto vertente anno vitam finierit.* Verisimile est, *Aod* (reperit Matthæus Polus in synopsi Criticorum aliorumque Sacræ Scripturæ Interpp.) 80. Anno inchoato Vita functum, & Samgar non integrum Annum imperasse, annotante *Bonfrerio* apud eundem. Judex fuisse censetur, sed modici temporis & paucorum mensium, testante *Cornelio à Lapide*, adeoque etiam Tempus ex illâ Hypothesi non indicatur, præcipuè si nulla alia præter hoc peregit Facta illustria. Nobis, etiamsi non opus esse putemus, ut in tam breve Tempus celeri concedamus pede, tamen satis est illum regnasse, &, ut ostendamus, non omnino omnem temporis rationem in sacro Codice esse præteritam, jungendos historicè cum versu nostro putamus tres priores cap. 4ti versus, qui nec ad Ehudem commode retrahi ob Cap. 3. v. 30. nec ad Deborah regnantem protrudi ob cap. 5. v. 7. sed ad Samgaris dies conferri & possunt, & omnino debent ob cap. 5. v. 6. tanti judicis probitatem nihil debellante furentis Populi improbitate. Sed hæc sufficiant de cognito Samgaris Judicatu.

§. VII. Altera, quæ occurrit, non levis est Quæstio, *an nempe Samgar solus, an cum sociis percusserit Philistæos?* Pro utraq; parte disceptatur inter Autores Historiæ interpretandæ. *Lyranus*, citante illum *Schmidio*, cum posteriore facit sententia, exaggerat enim summam impossibilitatem & dixit: *verisimile non esse, tot ab uno Viro occisos esse.* Et certè, si Hominem metimur, quilibet in tantum, in quantum Natura vires dedit, fumus existit, & Nemo, si aliis Hominibus similis fuerit, plures quam humeri valent, vincit, ac pro imbecillitate humana vincere potest, *id quod valde etiam urgebat Estius*; ast etiam possibile aliquid est, si vel divina humano animo infunditur Virtus, vel terror panicus hostes occupat, vel alius casus interveniens, id facile reddit, quod alioquin fieri non posse videbatur. Pro priore igitur parte, quantum ad facultatem attinet, dimicant ab aliis gestæ res, quod Exemplis sufficientibus illustratur, & Testimoniis non spernendis probatur. Nemo nescit Historiam de Heroibus

roibus Davidis ex 2. Sam. 23. 8. seqq. coll. 1. Chr. 12. v. 11. seqq. qui singuli etiam majori Admiratione digna facinora peregerunt. Quis vero ignorat illustria Schimschonis facta, ut vel maxime ad ea sola revertar, quæ luculenter Jud. 15. seqq. extant? Nullus sana ratione præditus in his inficias ibit, nisi sacræ negare Veritatem Scripturæ velit, sed potius assensum largissimum quisque præbet. Quamobrem nulla est ratio, h. l. id viribus divinitus acceptis negari, quod Simsoni, Jasabeamo aliisque non negamus. Quin imo textus noster huic favet parti. Confirmat hoc *Lorinus* apud *Polum*; & *Schmiedius*: *Ne probabilitatis quidem speciem ex textu, qui solius Samgaris meminit, indicare omnes possunt.* Quia igitur derepentè forsan bellam Philistæorum fuit natum, Consilia ut prius arcana cum aliis conciliaret, necesse non erat, neque ipsi, os suum Harpocratis sigillo ut obsignaret, uti *Schoockius* lib. de discordiis domesticis loqui amat, opus erat, quoniam Necessitas prope rationem magis, quam moram, quam consilia, quam petendum aliorum succursum visa est svadere, quo citius Hostes omnes in fuga sibi præsidium ponere cogerentur: quod & optatò invenit, & Populum Israëliticum suâ hac Promptitudine ex voto *Solus* liberavit, itaque de novo renovavit, quam semper tum temporis adamabant, Libertatem, quæ aliis interdum Gentibus ignominiosa fuit, adeo ut Ægyptii Libertatem adepti: cum ne ullo quidem momento possent vivere sine rege, duodecim sibi Reges eligerent, *Herodot. lib. 2. & Just. L. 38. c. 3.* Et Cappadoces munus Libertatis abnuentes, negarent vivere Gentem sine Rege posse; qui quidem omnes Libertatis decore digni, quippe quia alias nihil est dulcius, non fuerunt. Illud autem libertatis decus gloriosum hac ratione vel restituit, vel conservavit Israëlitis Samgar, tantoque id reddidit pretiosius, quanto magis illi uni cum acceptis erat ferendum.

§. VIII. Denique cui *Vita generi, antequam munus Judicis acceperat, ille se dederit*, non inconvenienter quæritur? Quæ non minus utilis, quam curiosa est Quæstio, ad quam tamen non nisi æquioribus Conjecturis, vacillantibusque nihilominus verbis respondendum est, quia nihil firmum certumve in Textu deprehendimus. Verum Instrumentum illud, quod loco gladii illi erat, indicat, quod sciam, Stimulus nempe boum, de quo infra pluribus, & Testimonium exhibet de Agricultura partim, partim & de Pascuis boum observatis. Neque vero hoc inde inique colligitur: nam irruentibus Philistæis, arrepto boum Stimulo à cultura boum, atque Aratro proxime petito ipse subito dimicavit, uti adhuc Hungari Turcis faciunt irreligiolis,

giosis, qui eodem modo sæpius ab Aratro ad pugnam hisco accedunt Armis instructi. Enim verò Vocatio Samgaris similis fuit illis apud Romanos, qui etiam ab Aratro ad Dictaturam vocati fuere insignes fortesque manu Heroes, ut Camillus, Curius &c. qui Romam à Gallis liberarunt, aliosque ejus Hostes perdomuere, hinc tritum illud Proverbium: *Inflige plagam ab aratro!* sive, *impinge Vomerem*, tum dici solitum, cum quis jubet strenue aliquem pugnare, licet sine arte, referente *Cornel. à Lapide*. Neque iste processus ab Aratro ad rem bellicam Sacro Codici ignotus est, siquidem primus Hæbreorum à Deo datus Rex suo id Exemplo confirmare poterit 1 Sam. II, v. 4 seq. è quo idem de Samgare fieri meretur judicium, & argumentum æquissimum ducitur pro vitæ agresti, divinis uti honoribus sæpe maciãta, ita non adeò temere, ubi fieri solet, repudianda.

§. IX. In hoc igitur tanto tamque amplo rerum campo hoc tempore plura adducere, & verbis, de meo Samgare, quæ plura afferri possunt dubia refutare, nec scopus nec occasio fert: quod si quis velit, ei satis multæ haud sufficere possent Pagellæ, imprimis si levissimas quasque Contentiones inter Authores excitatas Perquirere velit. Sufficit pro modulo meo aliquid, quod momentosum magis videbatur, ventilandum à me proponi. Cætera DEUS & Doctiores.

CAP. III.

De

Instrumento Victoriæ Samgaris.

§. I.

Nunc maximum quod restat, & caput rei est, se se offert dubium, idque ex verbis *בְּמַלְמַר הַבָּקָר* innotescit. Antea jam de fortissimis & potentissimis Philistæis verba feci, qui tunc temporis omni in parte florebant, quique proximas ubique Gentes debellare cœperant, si non publico, ad minimum privato quasi Bello, quo illas eo melius in potestatem redigere possent suam. Hi etiam latrociniis potius & velitationibus, quam justo Israelitas infestabant Bello, eoque in incursu subitanæ Samgaris alacritate, arreptoque, quod non furor, sed consilii celeritas subministraverat, proximo pugnæ Instrumento, *Boum Stimulo*, vehementer concutiebantur, atque profligabantur. *Serarius ita rem explicat in Comment. Quest. 2. cujus verba*

ba

ba hic addam : Putant Rabbinorum quidam, post Aodi mortem illico Judaeos
 à Jabin Rege, de quo sequenti capite, oppressos fuisse, hujusque oppressionis tem-
 pore Philistæis irruentibus occurrisse Samgarem, illosque repressisse. Sed suæ
 hujus narrationis rationem aut conjecturam nullam proferunt. Ideoque mihi
 potius ea est opinio : statim atque apud vicinas Gentes perpetuo fere
 Israëlitarum odio flagrant, rumor increbuit, mortuum esse fortissimum Prin-
 cipem Aodem, fuisse à Philistæis in Israëliticam Terram excursum, non qui-
 dem ita, ut vere bellum esset, sed latrocinium tantummodo, quo illam vexarent,
 prædas exinde agerent, Homines in servitutem abducerent. Et vero si ex ani-
 mi voto illis processissent omnia, in apertum bellum, vel Israëliticæ Gentis toti-
 us servitutem prorupissent initia hæc. Sed in Agro forte cum esset, bobusque
 suis araret Samgar, et tibi derepentè prædatoria istiusmodi Philistæorum ma-
 nus, Vias, Villas, Pagos infestant : & suos huic aranti boves eripere, ipsum
 abducere conantur, ille vero id nullo modo pati, sed vim vi repellere, injuriam-
 que propulsare ; & quidem adeo fortiter & generose, ut illi ab eo, quod cæpe-
 rant, latrocinio & injuria prorsus destiterint : aliæque forte Gentes illorum cla-
 de, factique Samgariani fama repressæ paululum, & in officio contentæ fuerint.
 Hæc Serarius. Jesuita post mortem Ehudis hæc facta, ex Rabbinis adfert,
 quod & antea indicavi, non tam vivo quam mortuo Ehude Samgarem servasse
 Israëlitem, quod data hac occasione placet repeti. Placet & illud, quod Phi-
 listæorum repressio præmittatur à Serario calamitati, quas dederunt Cana-
 nitæ & Jabinis copiæ. Porro tamen hæc res, non quodam velut odio exte-
 nuanda est, sed gravioribus, quam quidem Serarius facit, exaggiranda
 rationibus. Hoc tamen dicam cum eo, Sangarem tunc temporis fuisse A-
 gricolam, nec tamen, quales hodiernum sunt communis armenti rustici cu-
 stodes apud nos, arantesque servi, sed hac quoque voce innuimus conjun-
 ctum in armenta copiosa Dominium stabile ac potens, unde & alii sui similibus,
 præfuit, ac præivit, qui tali opulentiâ præstabat, quod ex §. 3. hujus capitis
 paulo pluribus innotescet. Sicut verò ex Armorum genere Agriculturam
 colligi posse credo, ita nihilo segnius id pia mente circumvulvo, nec solum
 talem virum, nec solum tale Instrumentum tantæ Victoriæ suffecisse, nisi
 DEUS subito Spiritu roboris ac fortitudinis toto immisisset, viliq; Instrumento
 metum divinum circumposuisset, ac non panico tantum, sed divino horrore
 milites Philistæos à tantâ Viri audacia stupentes percussisset, quos, quales de-
 prehendit, tales vulneri, fugæ, morti dedit. Neque enim opus est, præter vim
 Vocis 72 dici, quod omnes sint trucidati.

§. II.

§. II. Varie autem tanquam de Re dubia super hoc pugnae Instrumento differunt Autores, & quilibet in opinione commoratur sua. *Matthew Polus in Synops. Criticorum*, quasi Silvam dissentientium inter se representat densissimam. *Versio Ariae Montani* explicat: in Documento bovis, quæ dicendi ratio literæ convenit hebraicæ. דָּבָר Documentum, vel potius id ipsum, per quod quis discit, atque assuefit agenda rei, significat: Cui voci à דָּבָר didicit, descendentem, nec nisi semel in toto S. Codice expressæ, quando Vox altera, propter quam in statu constructo est posita, additur, nimirum דָּבָרֵי , id est bos, & collective armentum, omninò generalis inde fuit expositio illud, per quod Boves discunt suo operi satisfacere. Unde illud consequitur Instrumentum hoc partim inter agendum, partim inter arandum, partim inter vehendum optime potuisse usurpari, siquidem in genere *Exercitaculum* illud *boam* denotat. Hoc autem generale significatum *Versio* specialius exprimit *Syriaca*, dicens nempe; in *Vomere Boum*, quod &, omissâ tamen interdum voce *Boum*, in *Latina* aliquorum, tum vulgata, tum correctâ invenimus *Versione*, uti apud *Andream Osiandrum*; *In stiva vel Pede Aratri* dedit *Origines*, Græcos *LXX.* Voce $\alpha\epsilon\gamma\rho\acute{\epsilon}\omicron\mu\delta\iota \tau\acute{\omega}\nu \beta\omicron\omega\upsilon$ utentes imitans. *Münsterus* veste jugali; at *Chaldaica* *Jonathæ* Stimulo Bovis vel Boum, quod & nos constantius affirmari, defendi, & probari posse putamus. Arabica tamen vertit *Securi Boum*, ut commodius & honestius pugnaret Heros; ast profectò suâ istâ prudentiâ scopo sacri Scriptoris hîc repugnat, qui hanc nobis proponit pugnam, ut rem insolitam quandam & paradoxam. *Biblia Vinar.* ita nobis tradiderunt: *Sangar* schlug 600. *Philister* mit einem Ochsen-Stabe / welcher vorne mit Eisen beschlagen war / damit man den Ochsen forttreibet. Plura non addimus. Miramur vero diversitatem, rusticum Instrumentum in tam varias sententiarum distractiones inducentem: de quò tamen paulo post prolixius erit agendum, si prius, quæ §. I. debemus, h. l. præmiserimus de Agriculturae studiosis.

§. III. Ut igitur parumper ab Instrumento Victoriæ ad Victorem revertar; quales illi erant Agricolaë, vel (ex mente aliorum) quid ii Bubulci, nisi inutilia Terræ Pondera? dixerit forsitan aliquis. His verbis enim quondam Puella, quam (veniam memoriæ precor) iniquè osculatus fuerat *Daphnis*, hunc Bubulcum repellit:

C

Τὸ σῆμα

Τὸ σῆμα με πλύνω, καὶ ἀπὸ τῶν τὸ Φίλαμα.
Καλὸν σοι θαμάλας φιλέειν, ἔκ ἄζυγα κώραν.

Os meum lauo, & osculum deservo: decet te Vitulas osculari, non innuptam puellam. Sed uti tempora, ita mores, itaque Morum æstimatio. Apud antiquiores Mortales alia illorum Gloria & Honor fuit. Principes Viri hoc lubens fungebantur officio. Hinc Iliad. ζ. Cilicum regia Filia, Andromache, Achillem septem Fratres suos interfecisse, queritur

Βυσὴν ἐπὶ εἰλιπόδεσσι, καὶ ἀργυρῆς οἰέασσι,

Apud boves curvis pedibus, & oves albas, quod pluribus demonstrat Bochartus in Hierozoico P. I. L. II. cap. 39. In hoc Theatro utique se etiam representant B. Patriarchæ, qui non solum Pastores, sed & Bubulci & Agricolaæ fuere, non tamen quales hodie pauperculi, & vitam vix trahentes homunciones, sed divitiis præclari, & Viri Probitate & Autoritate magni, qui tamen coram DEO largissimis in divitiis pauperes ex animi virtute erant. Porro id etiam accedit, quod in Bello illi creberrime exercitui præessent, & tanquam princeps quilibet inter liberos, regnaret, referente Puffendorffio in seiner Einleitung zur Historia Cap. I. Ein jedweder war in seinem Stamme ein Fürst / und führte unter ihnen das Regiment & ita porro. Quod de Samgare dictum quoque volumus, tantoque id magis, cum multo post Saul regio jam ornatus oleo, Regnoque datus, curam tamen Boum nondum I. Sam. XI. dimisisse legatur,

§. IV. Talis ille Samgar, qui sexcentos percussit Philistæos, *Stimulo Boum*, & non adhibito alio telo, uti quidam putant, meliori quasi voce dicentes de Securi Boum. Quin potius securibus armatos & egregie sub initium militare conantes dimicando contrivit & prostravit. Non igitur securi ejusmodi, scil. *πλέκει βοῶν ἀνααιρετικῶ*; sed stimulo potius seu *βυπλήγῃ* eum pugnassee indicio vocis Hebraicæ censemus. Lycurgus quidem eodem olim armatus telo, circa Nylam fugat Bacchi Copias & ejus Nutrices:

Θύβλα χαμαὶ κατέχευεν, ὑπὲρ ἀνδρῶν φόνος Λυκέργῃ
Θαινόμεναι βυπλήγῃ. Διώνυσος δὲ φοβηθεὶς
Δύσθ' ἄλῃς κατὰ κύμα.

Thyrso

*Thyrſos in Terram proſecerunt, ab Homicida Lycurgo, Boum Stimulo percuffa:
& ipſe Bacchus territus maris fluctus ſubiit, &c. quod ex Bocharti Hierozoico
depromſi: quodque ita exprimit Poëta;*

Jecere in terram thyrſos, homicida Lycurgus

Quas ſtimulo armenti percuffit, & ipſe Lyæus

Territus it maris in fluctus.

Quoniam igitur Lycurgus inter Gentes cantatus illo ipſo Inſtrumento pugnare potuit, quidni noſtro Samgari idem relinquat, maxime cum ex hujus Hiſtoria, altera Lycurgi petita eſſe non omninò vane Mythologiſ videatur.

§. V. Quid vero *ſtimulus boum* ſit, vix aut ne vix quidem explicari & deſcribi poteſt. Altum de hoc ſilentium in Commentariis Chriſtiano- rum plerumque eſt Interpretum, & quod maximum, ſacra Scriptura exter- næ à formæ deſcriptione abſtinet ipſa, ita ut nos certi quid hic aſſerere haud poſſimus. Agricolarum ruſticorum multitudinem metonymicè dictam fruſtra ab hiſtorico noſtro requiras. Lanceam qui metaphoricè intelligunt è ſtimulo boum factam, & à literâ textus, & à jure metaphoræ per nimiam duritiem recedunt. *Serarius* ad h. l. putat, ſe firmas habere ex Rabbiniſ rationes, ut hanc vocem רדלד ſignificare calcaria, ergo & vomerem, propugnet, & porro ſtimulum boum fingit ex virgula infirma factum, ſed *Schmidius* addi- dit ad prius: *quam ineptè!* & ad poſterius: *atqui forte ex ferro totus fuit, ad confodiendum aptiſſimus*, qui & cœtera inepta refutavit ejus argumenta *vid. Schmid. comm. in lib. Jud. ad b. l.* Non abſurda cuiquam & hæc opinio eſſe poterit, tali forſitan forma ſtimulum eum fuiſſe, quali hodie eſt inſtrumen- tum noſtrorum Procubitorum, Aclis quod vulgo dicitur, ein *Morgenſtern* ubi primo globulus ſeſe exhibet, munitus undiqve impactis ferreis aculeis, & dein baculus in globulo hæret, qui Excubitorum manibus tenetur: ſiquidem non defuerunt, qui ſtimulum boum ſynecdochice pro pluribus ſtimulis cum Cajetano acceperunt. Verumtamen uti hoc teli genus tale eſt, quo com- mode poteſt pugnari, ita tamen non facile quis dixerit, quam in rem inter boves tot aculeis inſtrui ille ſtimulus debuerit, quippe quibus & gravitas fuſtis ad verberandum, & præmunita ferro culpis ad pungendum ſufficiebat. Natu- ra enim boves pigritiam amant, tale igitur inſtrumentum quali incitamen- tum erat, quod opera & labores promovebat, & alacriores illos ad o- mnia ſua munia reddebat; unde mihi fuſtis ferro cuspidato præmunitus placet. Interim nulli ullam eripio, nullam injungo opinionem, quia in eo nec quic- quam momenti ſitum eſt. Græcum tamen vocabulum nobiſcum illud ſen- tit,

tit, quod κέντρον dicitur, & in significatione tum aculeus ipse, tum fustis acuta cuspide munitus est, & nostram firmiorem reddit sententiam. Quin etiam vox, quam alibi non occurrentem LXX. adhibuerunt, ἀεγρόπυς non necesse est, ut vel de toto aratro vel de stiva, quam παρὰ τὸ ἔχειναι Græci ἐχέτην dicunt, intelligatur, sed facile applicari ad ejusmodi fustem potest, cum eo fulciri soleat velut pede quodam vacillans & ob telluris molestiam quasi titubans aratrum, quali ἀεγρόπυδι seu fuste ferrato, & aratrum dirigente etiamnum aratores uti solent. Nec vomeris hic facile ratio vigeat, quoniam per vomerem non tam arare bos docetur, quam terra scinditur: quale instrumentum bovem fatigans potius, quam incitans & instruens si מלמד dixeris, currum etiam, & ipsum aratrum, & si quid simile est, tali nomine insignire poteris: quod non parum à re & verbo est alienum. De cætero sive stivam dixeris, sive vomerem, minus etiam fortassis aptum ad pugnam hoc instrumentum fuerit, nec tam agitabile: unde in grandiori fuste ferrato, eodemque vel bifido, vel simpliciter cuspidato acquiescimus.

§. VI. Hic Stimulus minime autem confundendus est cum ferreo illo Stimulo, de quo 1. Sam. 13, v. 21. legitur, ubi Israëlitæ ad Philistæos ad aptandum stimulum festinabant; (nam hujus Nomen erat דַּרְבָּן darban) quod R. Salomo factum ait: להרדו כראשו לנועצו ולהציבו בתור המרדע ad acuendum caput illius, & infigendum, & constituendum eum in contumedio, ex Bocharti Hierozoico l. c. Differunt itaque hæc duo, inquit porro, Nomina; Nam מלמד proprie contus est, in quem aculeus inditur; Vocis autem דַּרְבָּן significatum est aculeus ille, qui tali conto, seu מלמד potest infigi. דַּרְבָּן autem דַּרְבָּן origo Hebræis prorsus est ignota, sed ex Arabica lingua restituitur, cui vox daraba significat acutum esse.

§. VII. Cæterum varie variis in locis de hoc Stimulo fit mentio; Philosophi ac Poëtæ suis in scriptis sæpe hunc commemorant. *Æschilius in Agamemnone versu 1620.* ita canit:

Πρὸς κέντρα μὴ λακτίξῃς, μὴ πάσῃς μογῆς,
Ne contra Stimulos calcitra, ne patiendo Labores. Esc.
In Euripidis Bacchis dicit Nuntius versu 793.

Θύοιμ' ἂν αὐτῷ μάλλον, ἢ θυμέμεν
 Πρὸς κέντρα λακτίσοιμι θεῆτος ὦν θεῶ.

Potius illi sacrificarem, quam DEO infensus adversus Stimulos calcitrarem, mortalis cum sim, &c. Quod

Quod & Christus (non tamen ex illis desumptum , quod esset Fontem
 Limpidissimum ex lacunosis Rivulis derivare ,) ad Paulum de caelo dixit:
 σκληρὸν σοι πρὸς κέντρα λακτίζειν , *durum erit tibi , contra Stimulos*
calcitrare. Actuum 9, v. 5. & capite 26, v. 14. Quali de coetero phrasi in
 V. jam Testamento usus est & Moses Deut. 32, v. 15. & Samuel 1. Sam. 11,
 v. 29. ac tempore Christi Judaica Gens usa est, ut è Targ. in Hose. 4, v. 16.
 patet. Quod Proverbium in omni lingua ex imitatione Domini hodie-
 num apud multos in usu est homines, qui non tantum in momentosis
 rebus dextre illud adhibent, sed & circa illud ex abusu, in levissimis sæpe
 delirant rebus.

§. VIII. Ultimo loco igitur, iterum miramur iterumque, quod no-
 ster servavit Israëlem hoc instrumento, quò juxta naturam nemo fore unquam
 aliquid memoratum cum laude dignum facile peregit, tantum abest, ut inte-
 gras armatorum cohortes (nam de vitulis boum, quos Latinus quidam è vo-
 ce מורד quasi discentes perperam vertit interpres Augustino major, frustra
 fiunt verba; sufficiunt fortes viri) eo quassaverit, fuderit, ac prostraverit.
 Quamvis igitur neque in instrumento hoc, neque in percussione hominis a-
 ctivâ ac passivâ, neque in ipsâ fugâ aut morte ponendum sit miraculum; poni
 tamen illud in totâ actione fas est, in suscitatione animi humani ultra id, in quò
 confidere poterat, in elevatione virium corporis ultra communem sortem,
 in inusitatâ mentis in tot armatis viris perturbatione: in quibus omni-
 bus sicut causas secundas, & usurpatas etiam Naturæ vires largimur, ac secun-
 dum eas in sublimiore significato Miraculum vocari in dubium posse damus; i-
 ta tamen Miraculum in hac præter ac supernaturali secundariarum causarum
 coordinatione, & consensione vires naturæ ordinarias transcendente collocare
 non dubitamus, gratiæque divinæ præsentissimis in periculis præsentia subsi-
 dia, cum spe non desitura tantæ bonitatis veneramur. Ita per Miraculum
 solo baculo usus Moses, nobis incredibilia facinora in unico hoc instrumento
 apud Pharaonem facta reliquit, & auxilio jussuque DEI peracta. DEUS enim
 suis potentissima sua succurrit manu & sanctos ac pios ab hostibus, cum pla-
 cet, adhibito vel leviori remedio liberat, quod sacra pagina innumeris de-
 monstratum dedit locis. Sic Moses, sic alii, sic noster etiam Samgar egit,
 quod verba: *Etiã ille*, comparate volunt, id quod jam supra indicavimus,
 simulque comparisonem inter Athnielem, Ehudem, & Samgarem ratione
 salutis allatæ hoc sensu instituunt, *Et servavit etiam ille Israëlem, quemadmo-
 dum*

dum nempe alii, & speciatim Othoniel & Ehud, quorum Historia multis verbis præmissa est, qui exiguis viribus, levi armatura, parumque bello apta manu, prælium cum hostibus fecerunt. Exaggerat hoc eleganter *Sebastianus Schmidius* Autor gravissimus, & omni laude dignus, omni que meâ laude major, in *Quæstionibus*, commentario ad h. l. qui & in *Loc. Comm.* ibidem duo hæc axiomata: *Verissimum est, non referre apud DEUM multos per vel per paucos servare: & modus, quo nos homines DEUM servare, aut nobiscum agere debeat, præscribendus illi nullo modo est, sed sapientiæ & omnipotentia ipsius humili fide credendus*: uti pie ex hoc versu proposuit, ita & doctè exposuit. Sic igitur Samgar ille noster divino instructissimus adjumento, coelestique armatus virtute tantam Philistæis aculeato fuste, bobus erudiendis magis, quam fundendis hostibus idoneo, cladem intulit, quantam vix munitissimæ vires Hominum aliorum intulissent. Unde ejus fama non conterenda annis, sed, suo merito divina benignitate ipsi conciliato, & repetenda, & inter pios retinenda est.

§. IX. Et hæc ea sunt, quæ pro ingenii ac temporis ratione de Samgare, ejusque stimulo boum in medium protuli. Superfunt circa hanc materiam momenta non vulgaris disquisitionis: quod sicui verò forsitan de hoc negotio verisimilius aliquid, ac certiore fundamento instructum succurrit, ab illo, etiamsi levior videatur causa, multistamen precibus contendo, velit ad clariorem sacri textus cognitionem etiam hanc mecum communicare veritatem, & sua dexteritate, si quid malè & perversè posui, (quod equidem studui vitare) id rejicere; nervosa vero & ingeniosa adjicere de suâ copiâ ad dissertationem nostram. Patet enim omnibus veritas, nondum ubique est occupata: multum ex illa seculis & mentibus etiam futuris, relictum est, & tamen quilibet plerumque intimam solidam, ac immotam se habere putat veritatem. Ego feci, quantum nunc potui: & id, quantum fuerit posse, dedit

Deus: cujus propterea gloria noster in
perpetuum erit

FINIS.



Cum emendatione legatur

- A. 2. fac. 1. l. 17. *post eos* ex Dan. 7. &c. lin. 23. variat *וְהָיָה* &c.
A. 3. fac. 2. lin. 20. per Dagesch. A. 4. fac. 1. lin. 26. *Crellius*.
B. fac. 1. l. 6. *lustramus*, fac. 2. lin. 2. à fin. *illa* pro *illæ*.
B. 2. fac. 1. lin. 9. *ac tamen*, lin. 11. *nec tantum*, lin. 19. *habebat*, lin. 20. *De-
bora*, fac. 2. lin. 9. *aliud*, lin. 11. *de pro ab*, lin. 17. *De facto*, *quod*, lin. 21.
insultus, lin. 22. *sensit*, lin. 33. *debere*.
B. 3. (pro A. 3.) fac. 1. lin. 10. *repetit*, lin. 29. *firmus*, fac. 2. lin. 19. *comma-
tis signum* pro *colo*, lin. 25. *in acceptis*, lin. 31. *verumtamen*, lin. 32. *in-
dicat quidpiam*.
B. 4. fac. 2. lin. 32. *Spiritum roboris ac fortitudinis viro immisisset*.

Cœtera, e. gr. *nummerandus*, *Cronologiam*, *pœnitentiam*, *im*, *Melanch-
ton*, *Hæbreorum*, *exaggiranda*, *Sangarem*, *circumvulvo*, & *simil*.
B. L. pro *lubitu* emendabit.



Ad

Præclariss. hujus Disputationis Auctorem.

TE quoque Divini capiunt oracula libri;
Hoc etenim nomen singula verba gerunt.
Nec minimas etiam spernis perpendere voces,
Lumina ut obscuris addere clara queas.
Adsit consilio DEUS, id studiumque gubernet,
Ut fructus quondam divite messe legas.

*De laudatissimo scrutinii Biblicei conatu, quo
omnium bonorum applausum meretur,
ex toto animo gratulatur*

JO. FECHT. D. P. P.

Consist. Duc. Adfess. & Districtus Rosto-
chiensis Superintendens,

Wer

Er zu der Sonnen wil muß Stupffen-weise
gehen /

Denn sonsten bildet sich der Mensch was tol-
les ein /


Und wird wann Fuß und Haupt schon bey den
Wolcken stehen /

Erst an dem kalten Theil der feuchten Erde
seyn.

Du aber schickest DICH vernünftig zu der Reise /
Denn DEIN Gemütthe geht den Weg fein Stupf-
fen-weise.

Dieses hat dem Herrn Magistro Respondenti, aus
wol-wollendem Gemütthe beygefüget

H. C. Zielcke / D. P. P.



Adplausu es dignus vel quem non poscis, Amice,
Hæc ubi Virtutis sint documenta Tuæ.
Perbene scrutari sacros modo perge recessus,
Plurima sic quondam gloria parta Tibi.
Adplaudit cœptis Helicon; adplaudat Olympus
O Tibi felices terqve quaterqve dies!

Honori

Praclarissimi DNI. RESPONDENTIS
Imq; posuit.

M. P. Becker, P. P.



Coll. diss. A. 44. misc. 23